


C. 5.



40
DISPUTATIO DE
FEBRIBVS.

PRAESIDE EX-
CELLENTISSIMO ET CLARIS-

SIMO VIRO, D. IACOBO SCEGKIO, PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE EXIMIO, PRAECEPTORE ET PATRONO SUO, M. TILMANNUS HAMELIUS, BRUNSVICENSIS, AD SUBSCRIPTAS CUM QAESTIONE POSITIONES, PRO VIRILI, DEO ADIUVANTE, PUBLICE RESPONDEBIT.

*In Aula noua, die decima septima
Septembris, Hora septima.*



TVBINGÆ.

ANNO 1568.

Quæstio.

Cum Febris sit morbus vniuersalis & communis, quia vniuersum corpus afficiat, & toti corpori, omnibusq; eius partibus. per calorem naturalem, & spiritum influentem, communicetur: Merito in dubium vocari potest: Vtrum rectè sentiant Medici nonnulli, qui calorem naturalem cordis, & Genere & Subiecto eundem, censent subijci calori febrili: ac eundem à morbido calore, non specie, sed gradibus tantum, seu sola intensione distinguunt.

Propositio I.

Vulgarem & vsitatam quorundam Febris definitionem, quæ ipsa definitur: quod sit calor natiuus mutatus in igneum, minus probamus: si quidem hac natiuus calor, non tam Subiecti, quàm Generis rationem habere affirmetur.

II.

Galenus enim, cuius patrocinio & autoritate hinc multi nituntur, comment. 14. Lib. 1. Aphorif. Febrim dicit fieri τῆσπι τῆσ ἐμφύτῃ θερμότητι ἐπὶ τὸ πρῶτον: non autem dicit: Febrim esse calorem natiuum versum in igneum, ibiq; pro Subiecto, nō pro Genere calorem natiuum accipi volumus.

III.

Rectam autem & veram definitionem hanc ponimus qua dicitur: Febris est dyscrasia seu intemperies calida, in corde accensa, & per totum corpus diffusa, ledens operationes: sed vt Genus, ita quoq; Differentiam hoc loco æquiucè vsurpari censemus.

IIII.

Hanc porro intemperiem, vel nimium vniuersi corporis calorem, ledentem ἐν ἐργασίῃ, non æqualiter in omnibus partibus inesse statuimus: subiecta quibus febris inest trifariam distinguendo: sed modum inhaerentiæ bifariam, nempe in factum & fientem calorem diuidendo.

V. Duos

V.

Duos etiam istos calores, naturalem videlicet & febrilem, unū quoddam esse numero & subiecto, differre autem eos duntaxat λόγῳ, seu ratione ac definitione asserimus.

VI.

Nec calores illos gradibus, vel secundum magis & minus distinguimus: ita ut alter moderatus sit, alter verò intemperatus, & ad maiorem gradum extensus: sed toto genere diuersos arbitramur.

VII.

Febrilem quoque calorem dicimus esse accidens caloris natui: & duos istos calores non esse contrarios, nec calorem natuum à febrili perimi & expelli iudicamus: cum sit subiectum febris.

VIII.

Ac licet in omni febre, ex duobus istis caloribus, vnus compositus calor, qui febris appellationem habet resultet: Montanus tamen præter meritum nobis videtur illos reprehendere, qui duos istos calores, specie & natura distinctos ac diuersos esse, tradiderunt.

IX.

Subiectum quoque commune & generale, ac vnum quoddam febris, qui ponunt calorem insitum cordis, seu spiritum cordis in vniuersum corpus influentem, hallucinari arbitramur.

X.

Calor namque innatus cordis, triplex cum sit, iuxta tres cordis partes, quæ sunt, Spiritus, Sanguis, & Substantia cordis, quibus tanquam proprio in subiecto inest febris, triplex febrium subiectum statuimus: quorum quodlibet efferuescens contra naturam, totum corpus suffundit calore febrili.

XI.

Eadem est etiam Hippocratis nostri sententia, quando nimirum Febrium subiecta in tria genera distribuit: nempe in ἰσχυρὰ, ἐνὶ χόρμῳ, & ἐνορμῶντα.

XII.

Nec quemlibet calorē in corde accensum Febrim appellamus,

A 2 sed

sed factum duntaxat calorem in vna aliqua cordis parte: in cæ-
teris autem cordis partibus, & toto corpore calor qui inest, fiens
& symptomaticus appellatur.

XIII.

Fiens etiam, respectu causæ coniunctæ vel continentis calo-
res, si degenerent in factos, compositas seu geminas febres fieri con-
tingit: vt si putrida febris sit causa Hæctica, & simul cum Hæcti-
ca coniungatur.

XIIII.

Febris quæ in spiritibus accenditur, Ephemera dicitur: & sub-
iectum habet spiritalem illam $\sigma\omicron\iota\alpha\pi$ sanguinis, à cordis substantia
creatam.

XV.

Illorum enim sententiam tanquam minus rectam reijcimus.
qui aëreum spiritum extrinsecus inspiratum huius febris subie-
ctum esse tradunt, eumq; terminare febrilem feruorem spiritus
vitalis asserunt in Ephemera febre.

XVI.

Quamuis enim spiritus vitales refocillentur, & recreentur
aëre per inspirationem attracto: minimè tamen eo ipso nutriri &
augeri spiritus vitales, ac in eosdem commutari, censemus.

XVII.

Eam quæ ex Inguinum fit inflammatione febrim, veram E-
phemeram esse, & non symptomaticam, contra alios statuimus.

XVIII.

Synocham proindè, quam statulentam vel inflatiuam Arabes
vocant, & causatur ex copia & multitudine sanguinis ebullien-
tis, ad Ephemeram quoq; Galenum secuti, referimus.

XIX.

Quod si tandem calor, qui spiritus inflammat, non solum affici-
at humores fiens calore, sed eosdem inflammet facto calore, non
amplius Ephemera, sed putrida febris appellabitur: & has duas
febres non posse simul iunctas esse, arbitramur.

XX.

XX.

Ephemeræ verò febris $\pi\omicron\kappa\alpha\tau\alpha\rho\eta\tau\iota\mu\eta\rho$ seu externâ & primitivam, ac non internam seu antecedentem (qualis est februm putridarum) causam esse dicimus.

XXI.

Febris porrò quæ in solida cordis substantiam accenditur, *Hæctica* appellari solet: Huius tres sunt differentia, iuxta triplicem cordis & aliarum solidarum partium substantiam. Quando enim id, quo primò cor nutritur præcipuè consumitur, fit *Hæctica simplex*: quando $\sigma\alpha\rho\kappa\acute{\omega}\delta\eta\varsigma$ vel carnosâ humiditas *Hæctica media* vel *marasmodes*: quando autem $\iota\nu\acute{\omega}\delta\eta\varsigma$ vel fibrosa cordis substantia depascitur, perfectus *marasmus*.

XXII.

Marasmmum etiam per se morbum quendam esse dicimus, & ab *Hæctica* febrî distinguimus: *Hæctica* enim febris sicca affectio est, cum caliditate: *Marasmus* verò affectio sicca est, aliàs cum caliditate, aliàs cum frigiditate coniuncta.

XXIII.

Colliquantem quoq; febrim, quæ $\sigma\omega\tau\eta\kappa\iota\tau\iota\mu\acute{\omega}\varsigma$ $\pi\upsilon\rho\epsilon\tau\acute{\omega}\varsigma$ appellatur, ab *Hæctica* febrî diuersam esse volumus.

XXIII.

Quãquã autem spiritus & humores propter substantiæ tenuitatem & raritatē, ac dispositionem, alioquin prius & citius permulentur ac inflammentur facilius, membrî solidis: nihilominus *Hæcticam* per se incipere posse cum Galeno statuimus.

XXV.

Quæ in sanguine & humoribus cordis accenditur febris humoralis vel putrida dicitur: Hæc subiectum habet sanguinem, vel humores cordis, non quatenus ipsi corrumpuntur aut putrescunt: sed quatenus calefiunt, & exardescunt, ac alterantur à vapore putrido ad cor ascendente.

XXVI.

Omniū autem humoralium vel putridarum februm triplicem
A 3 differentiam

differentiam, utpote Synochi vel continentis, ἀκμασικῆ ἢ ὁμοῦ, νοῦ, ἐπακμασικῆ, καὶ παρακμασικῆ, continua verè vel συνεχῆς, & intermittens, quotidianam, tertianam & quartanam ponimus.

XXVII.

Ex sanguine putrescente in vasis maioribus febrim Galenus 9. method. synochum putridum appellat: eandem in 2. de diff. feb. lib. inter biliosas refert. At nos neutrum humorem huius febris subiectum esse dicimus: sed serum sanguinis (quod ἰχθῆρα vocant) in hac febre putrescere, cum Montano statuimus.

XXVIII.

Auicennae autem sententiam improbamus, qui aliquot argumentis contra Galenum disputans, in synocho putrido sanguinem putrescere contendit.

XXIX.

Continuas quoque febres quae tertio quoque die habet exacerbationes nulla intercapedine intermissionis, Galenus generaliter τῆσιν ὁμοῦ καὶ appellat: specialiter verò sic vocat febrim malignam, in qua biliosus humor cum alijs pravis humoribus putrescens, tertio quoque die vehementior fit & ingrauescit. Errant igitur qui huiusmodi febres pro Hemitritæis interpretantur.

XXX.

Illorum praeterea opinionem minus recipiendam esse iudicamus, qui volunt in ea sanguinis massa quae intra venas continetur, sic confusos & commixtos esse humores ut per commixtionem ac confusionem eorum, unus sine alio putrescere nequeat.

XXXI.

Horrores quoque & rigores in interpolatis febribus, non esse febres dicimus, nisi cor calore febrili sit inflammatum. Imò sine putridine existere posse huiusmodi affectiones ex frigidorum & crudorum succorum multitudine cum Galeno attestamus.

XXXII.

Causam periodorum & circuituum in putridis interpolatis, Galenus noster in affluxum materiae vel humorum & membri imbecillitatem

ẽillitatem refert: quæ cum generalis causa sit, cur paroxismi redeant in morbis etiam non febrilibus, minus sufficiens nobis esse videtur respectu specierum paroxysmorum in intermittentibus, & etiam continuis.

XXXIII.

Quia autem non ex periodis, nec ex motu vel paroxismis, sed potius ex idea, seu propria forma & qualitate ac proprietate symptomatum febrium differentias internoscendas esse statuimus, certam & apodicticam paroxysmorum in specie causam in medium afferrî non posse, cum Montano censemus.

XXXIII.

Febrim pestilentem eam vocamus, in qua putridus malignus & venenosus vapor ad cor ascendit. Hanc ab aëre putrescente, vel eiusdem venenata constitutione præter naturam, vel à putridis succis nobis ingenitis, generari dicimus.

XXXV.

Diversum enim genus est pestilentis febris, à dictis tribus generibus. Nam causis & symptomatibus, ab ijs multum differt.

XXXVI.

Alij inter Ephemeræ eam numerant, quia ipsius febris generatio similis sit generationi Ephemeræ, cū utraq; à causa primitiva vel externa fiat: quorum tamen opinio facile de errore conuincitur.

XXXVII.

Gal. lib. 1. de diff. feb. inter putridas febres refert, quia ex maligna putredine ortum habeat, non tam humorum quàm aëris: ita ut aëri putrido consentiens sit corporis dispositio.

XXXVIII.

Idem in lib. 3. de præcog. ex pulsib: cordis substantiam putrescere statuit, indeq; fieri Hecticam pestilentem asserit. At cum cor sit membrum nobilissimum, & ut Hipp. inquit solidissima quædam caro, ac ne leuem quidem affectionem sustinere possit, minus rectè nobis Galenus sensisse videtur, qui Hecticam pestilentem putridine substantiæ cordis definiert.

Eodem

XXXIX.

Eodem etiam in loco sanguinem in corde contentum putrescere in pestilenti febre tradit. Caterum quia sanguis vnà cum corde fundamentum est vitæ, nec existit putredo in sanguine nisi calore deficiente nativo, cum quo vita desinit, etiam hinc Galeno non assentimur.

XXXX.

Multæ namq; viæ sunt corruptionis per dyscrasias, quæ nequaquam putredines sunt: nec vllus poterit in corpore morbus esse, qui ex corde sanguinem, & nativam caliditatem, vel spiritus profligare possit. Quinetiam extincto animali, reliquias caloris nativi esse in sanguine, & cor putredine vacare, demonstrari poterit.

XLI.


Quòd si autem venenosus & pestilens vapor in corpus ingredietur, & serositatem sanguinis putrefaciat, fit Synochus pestilens: sin alios humores, alia febris, pro humorum diuersitate, causabitur.

XLII.

Galenum etiam, quando dicit corpora densa & constricta, Aui-cennam verò rara & laxa, pesti obnoxia esse, neutiquam minus pugnantiã dixisse, facile probabimus.

MC





Uf 5608

ULB Halle
003 854 833 3





Sh

VD 17

W







DISPUTATIO DE
FEBRIBVS.

PRÆSIDE EX-
CELLENTISSIMO ET CLARIS-
SIMO VIRO, D. IACOBO SCEGKIO, PHILOS
sophiæ et Medicinæ Doctore eximio, Præceptore et
patrono suo, M. Tilemannus Hamelius, Brun-
svicensis, ad subscriptas cum quæstione
positiones, pro uirili, Deo adiuuan-
te, publice respons-
debit.

*In Aula noua, die decima septima
Septembris, Hora septima.*



TVBINGÆ.
ANNO 1568.